



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Exercitia precationesq[ue] ad sacratissima quinq[ue] vulnera D. N. Iesu  
Christi, quæ mirum in modum mentem humanam expurgant, illuminant,  
ac in Deum transformant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

*Exercitia precationesq̄, ad sacratissima quinque vulnera Domini nostri Iesu Christi, iuxta cuiusque & deuotionem & capacitatem ordinata ac distributa, quae mirum in modum mentem humanam expurgant, illuminant, ac in Deum transformant.*

*Ad vulnus dextri pedis Iesu, Precatio.*

**D**ulcissime Domine Iesu Christe, in hoc vulnere dextri pedis, peto ignoscas mihi quicquid cogitatione aut affectione praua contra te deliqui, suppleasq̄ tuis sanctissimis meritis, quicquid boni cogitare aut amare debui & neglexi: & facias vt posthac te solum cogitem, te solum desiderem: nihil mihi placeat, nihil me afficiat nisi tu Domine Deus meus, Amen.

*Ad sinistri pedis vulnus, Precatio.*

**D**ulcissime Domine Iesu Christe, in hoc vulnere sinistri pedis, quaeso ignoscas mihi, quicquid sensuum meorum incontinentia ac abusu in te deliqui: & concludas omnes sensus meos intra te, vt velut mortuus mundo, nihil videam, nihil sentiam, nisi te, Deum meum pro me crucifixum, Amen.

*Ad vulnus dextrae manus, Precatio.*

**D**ulcissime Domine Iesu Christe, in hoc vulnere dextrae manus, quaeso ignoscas cunctis actibus meis, & operibus malis ac vitiosis, quibuscunque benignitatem tuam vnquam offendi, & suppleas tuis operibus praclarissimis, atque sanctissimis, quicquid vnquam ego, quod facere debui, neglexi: & facias vt posthac per gratiam tuam emundatus à peccatis, vitam tuam sanctissimam per deuotissimam imitationem merear conformari, Amen.

*Ad vulnus sinistrae manus, Precatio.*

**D**ulcissime Domine Iesu Christe, in hoc vulnere quaeso ignoscas omni impatientiae atque immortificationi meae, quomodocunque per eadem deliqui & mihi propines ex hoc vulnere mitissimam patientiam, in omnibus aduersis. Tibi enim hic offero & commendo & me, & omnia mea, tam laeta quam aduersa, Amen.

*Ad vulnus amantissimi cordis Domini nostri Iesu Christi, Precatio.*

**O**dulcissime Domine Iesu Christe, in hoc vulnere quaeso ignoscas mihi quicquid voluntate mala, aut intentione non sincera contra te vnquam deliqui, & offero tibi nunc cor meum, vt illud cordi tuo vnias, vt te solum in omnibus quaeram & pure intendam, aliamq̄ praeter tuam voluntatem post hac nullam habeam, Amen.

*Exercitium aliud ad eadem sacratissima quinque Christi vulnera.*

*Ad gloriosum vulnus dextri pedis.*

**B**enedictum sit sacratissimum vulnus dextri pedis tui Domine Iesu Christe. Rogo te clementissime Iesu, vt in hoc vulnere tribuas mihi pauperi peccatori, profundissimam ac perfectissimam humilitatem, cum desiderio proprii annihilationis & despectionis: obedientiam cum plenissima resignatione & abnegatione mei ipsius, castissimam puritatem cum simplicitate cordis, Amen.

*Ad glo-*